

*Pigant. num. 21. 22.*, ubi *num. 13.*, notat, quod Conductor non esset negligens, non solvendo ex justa causa, puta ob expurgationem domus, vel aliam necessitatem, ubi *Rota decis. 70. p. 3. recent.*

15 Sicuti si Conductor non solvat, eo quia locator non servat promissa, non patitur poenam expulsionis: *Verall. decis. 180. lib. 1.*, *Beroi Consil. 140. lib. 1.*, & post alios *Pigant. dicta rub. 34. num. 25.*

16 Respectu locatoris considerari potest negligentia, si per mensem ante non denuntiaverit conductori domus, nolle locationem perseverare, attento *Statuto dicta rubric. 34. scuti*, & conductor debet per tantum tempus denunciare locatori, se nolle in conductione perseverare, alias censetur inita tacta relocatio, & reconductio: *Antonell. de temp. legal. lib. 2. c. 35.*

17 Non inutile erit investigare, an negligentia Conductoris nocere possit subconductor, puta Titius conducit domum, & sublocavit Gajo, qui Cajus diligenter solvit pensionem Titio, at iste neglexit solvere pensionem primo locatori, & domino, ex quo Titium expellit in poenam, an Cajus teneatur pati expulsionem, & ratio dubitandi est, quia negligentia non debet alteri nocere, quam negligentia, ut probavimus in prima parte, verum poterit expelli primus Conductor in poenam, & consequenter subconductor patietur expulsionem, quia resolutio Jure auctoris, resolvitur, & Jus subconductoris, *l. lex vestigali 31. de pignor. l. si ex duobus §. 1. ff. de in diem adiect. c. nuper. de donat. inter virum, & uxorem; Petrus Barbosa in l. quia male num. 86. ad finem ff. sol. matrim.*, quæ reg. cento habet locum in iis, quæ habent independentiam successivam, ut in hoc casu Conductoris, & subconductoris, ad notata per *Tuscum littera R. concl. 272.*

Subconductor tamen in eo casu habet actionem contra sublocantem pro suo interesse, ut notat, *Caroc. dicta quest. 14. num. 31.*

18 In istis tamen casibus, quod Conductor expellatur propter neglectam solutionem pensionis, & sic ex sua culpa, eidem competit retentio propter melioramenta, tam necessaria, quam utilia facta in re conducta, *l. Dominus horreorum §. 1.*, ubi *Bartol.*, & *Clarius in l.*

*Colonus ff. locati*, quia licet ex sua culpa expellatur, tamen bona fide fecit melioramenta, ut notat *glos. in dicta l. Colonus in Vers. consecuturum*, respondendo ad alias leges, quæ videntur facere in contrarium, quæ loquuntur in casu, quo melioramenta facta fuerint mala fide, & late tractat hunc artic. *Caroc. de locato p. 4. tit. de expensis num. 6.*, & *seqq.*, ubi etiam, quod hoc Jus retentionis transeat in hæredes, & singulares successores &c., ad quem &c., ubi *num. 10.*, ad differentiam emphiteutæ, qui ex sua culpa eiectus perdit melioramenta, ubi etiam *num. 14.*, & *seqq.*, quod ista retentionis exceptio, propter melioramenta retardat executionem expulsionis, si ea sint liquida, nec requirant altiore indaginem, ubi *num. 32.*, quod idem Jus retentionis, competit etiam, quando melioramenta facta sunt ab alio tertio, puta amico, coniuncto &c., contemplatione ipsius conductoris, quia factum ab amico contemplatione mei, dicitur à me factum.

19 Ad quem etiam spectet probare negligentiam istam, dicendum est spectare ad Conductorem probare se solvisse, alias negligentia dicitur probata, & ratio est, quia Locator habet intentionem fundatam in instrumento locationis, unde spectat ad Conductorem, qui promisit solvere, docere de implemento suæ promissionis, quo non dato, constare dicitur de non solutione: *Caroc. dicta q. 14. num. 34.*

20 Diximus, quod si Locator neglexit denunciare in tempore præstituto Conductor, se nolle continuare locationem, censeatur facta reconductio in prædio rustico pro uno anno, in prædio Urbano pro eo tempore, quo Conductor perseverabit inhabitare, id tamen notabiliter limitatur in casu quo Conductor fuit negligens in solutione pensionis, quia tunc non censetur facta reconductio, sicuti propter defectum in solutione, potest expelli locatione non finita: *rex. in l. Quæro §. inter Locatorem ff. locat. Antonell. de tempore legal. lib. 2. cap. 35. num. 22.*, *Mantica de tacitis, & ambig. convent. lib. 5. tit. 15. num. 28.*

21 Conductor negligens in cultura agri, putata, quia non arravit, & seminavit, non

puta-

putavit, non potest petere mercedis, seu pensionis remissionem, quam culpam probari per testes ostendit: *Caroc. de locato p. 4. tit. quomodo culpa probetur num. 5. folio 177. col. 3.*, quia debet sibi imputare, si negligentia sua sibi noceat.

22 Et contra verò Colonus, & Conductor, qui diligentia sua fundum facit meliorem, puta de sterili fertilem, plures Arborea, & Vites plantavit, & diligenter custodivit, quia ista diligentia, & industria debet sibi prodesse, non debet, nec potest expelli, neque ei pensio debet augeri, ut est *tex. in l. si quis auctoritate C. de omni agro deserto lib. xi.*

& tangit *Caroc. de locato p. 4. sub tit. de recusat. q. 17.*, facit *tex. in cap. ad Aures de rebus Ecclesie non alienan.*, vel pretium melioramenti est restituendum, quia est ipsorum melioramentorum dominus, ad notata per *Rotam coram Cerro*, inter ejus impressas, *dec. 464. num. 6.*, ubi plura eleganter ex innumeris Auctoribus comprobant. *Antonin. Amat. resol. 14. sub num. 64.*, alique allegati per dictam *decis. num. 8.*

23 Intellige prædicta, nisi aliter ex pacto conventum sit inter partes, quia tunc dispositio hominis facit cessare dispositionem legis, *l. finali C. de pactis conventional.*

## De Negligentia Lusorum.

### SUMMARI A.

- 1 **L**ucris anxietas solet reddere Lusores attentos, diligentes, & oculatos, nec de Jure Victori datur actio contra Victum.
- 2 Et Victus si solverit potest repetere soluta.
- 3 Si Victus negligat soluta repetere, tunc Fiscus potest repetere, si Victus solverit notabilem summam.
- 4 Lusor negligens numerare, aut signa ponere,

- sibi imputet, nec collusor tenetur admonere.
- 5 Si verò Collusor utatur fraude, & mendacio, ut accusando plura puncta, quam habeat, licet alter negligat inspicere, non Juratur, sed peccat, & tenetur ad restitutionem.
- 6 Notantur gravia mala, & incommoda, quæ ex ludo sequi solent.
- 7 Unde optimum erit ludos negligere, & omittere.

## ARTICULUS XXIV.

### De Negligentia Lusorum.

**L**icet anxietas lucris, ut plurimum reddat lusores attentos, oculatos, & diligentes, ita ut non pauci ex lusoribus ad fraudes, dolos, & rapinas manus extendant, contra quos declamat *Vulpianus in l. Prætor ait §. si rapinas ff. de Aleatoribus*, nec victori datur actio contra victum in lusu alearum, & similium, *l. 1. & 2. C. de Aleatoribus, & alearum lusu.*

2 Victus autem si solverit potest soluta repetere, *l. finali §. commodis igitur C. de aleator, & alearum lusu*, quem *tex. Barbosa posuit sub tit. C. de religiosis, & sumpt. funer.*

3 Quod autem ad rem nostram facit, quod si victus negligat soluta repetere, tunc Fiscus potest repetere, ex eadem *l. finali §. com-*

*modis igitur, Farinac. q. 109. nu. 189.*, quod intellige si victus notabilem summam pecuniæ solverit, *Farinac. supra num. 191.*, & tam Fiscus Laicalis, quam Ecclesiasticus poterit sic ammissa, & soluta repetere, ad allegata per *Barbosam in d. l. fin. num. 24.*, *Ricciul. de Personis, quæ in statu reprobo versantur lib. 10. c. 17. num. 41. 42.*, & repetita deberent in opera Civitatis expendi, *l. Victum in Aleatoribus C. de Aleatoribus.*

4 Alter casus negligentia est, quod si lusor negligat numerare puncta, vel ponere signa, quæ sibi jure ludi competunt, debeat sibi imputare, & victor, nec tenetur admonere, nec sibi soluta restituere, ex probabili sententia *Sanchez. Opuscul. lib. 1. c. 8. dub. 14.*, *Diana p. 7. tract. 9. resol. 44.*, *Card. de Lugo de just.*

Si 2